DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

12

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi Admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI Conſenſu,

Et Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS M^CCAMBRIDGE,
HIBERNUS;

SOCIET. MED. HIB. EDIN. SOC. EXTR. &c.

AD DIEM 24 JUNII, HORA LOCOQUE SOLITIS.

Medicina non ingenii humani partus, ſed temporis filia. BAGLIVI.

EDINBURGI:
CUM PRIVILEGIO.
APUD ROBERTUM ALLAN,

MDCCXCVII.

REVERENDO ADMODUM VIRO,

CAROLO M. D. STUART,

DE BALLYCASTLE

IN

COMITATU ANTRIM,

S. P. D.

GEORGIUS M^cCAMBRIDGE:

Cui, potius quam tibi, vir humaniſſime, quo auſpice, occultas, contortas, exploratuque difficiles medicinæ ſemitas, veſtigiis conſequi primum aggreſſus ſum; cui, potius quam tibi, mi amiciſſime, qui mihi, cunis vix egreſſo, patre eheu! optimo orbato, omne parentis officium ſubiiſti, præſtitiſti, abſolviſti; haſce ſtudiorum meorum, quas blandiſſime foviſti, primitias conſecrare debeo? Quibus te verbis? Quibus grati animi indicationibus——e memoria nunquam eruenda ——proſequar? Accipias igitur, benevoliſſime, opuſculum, quod auctor parvi profecto duceret, ni occaſionem præbcret quantopere tibi ſit devinctus palam profitendi.

Vale, etiam atque etiam vale.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

Auctore, GEORGIO M^cCAMBRIDGE.

MORBI HISTORIA.

DYSENTERIA, utpote morbus contagioſus, plerumque late per populum graſſatur; nonnunquam vero, præſertim cum primum ingruit, vireſque ejus nondum graves evaſerunt, homines ſparſim adoritur.

Sub finem æſtatis, vel initium autumni plerumque vigeri ſolet; maxime vero, ſi tempeſtas pluvioſa, et calida præceſſerit; ſed aliquando veris

initio se ostendit: " Si nempe aura calidior in-
" temperantiori gelu derepente soluto mox super-
" venerit *," nonnunquam etiam ineunte hieme, licet rarius, observatur.

Hæc pestis unum alterumve mensem plerumque perstare solet; vires enim ejus hiemali frigore superveniente paulatim reprimuntur, donec tandem penitus labascunt. Per loca paludosa grassatur, ubi sæpe cum febribus intermittentibus conjungitur, uti observationibus PRINGLE, ZIMMERMAN, CULLEN, aliorumque auctorum idoneorum, constat et ob naturam pestiferam, potissimum sævit per classes, exercitus, valetudinaria, et urbes obsessas; vel ubicunque magna vis hominum vitæ ac victus communitate utuntur, contactu enim et ministeriis vulgatur. Cumque homines in hujusmodi locis congregatos adoritur, lugubrem, frustra obstante medicina, stragem edit.

Quidam auctores opinati sunt, plures dysenteriæ species existere, quæ suam quæque medendi rationem

* Vid. SYDENHAM, de Morbis Acutis, p. 178. Lugd. Batav. 1740.

nem poſtulant: hinc AKENSIDI, qui anno 1764 diſſertationem de hoc morbo edidit, eundem Rheumatiſmum Inteſtinorum appellat, &c. His autem auctoribus parum auſcultandum eſt; dyſenteria enim ut PRINGLE * aliique auctores accurati teſtantur, eandem ferme naturam habet; eandemque propemodum medendi rationem poſtulat.

Dyſenteriæ igitur una tantum ſpecies exiſtere videtur, quam CULLENUS Rei Noſologicæ Princeps ſequente charactere, quo a cunctis aliis affectionibus diſtingui poteſt, inſignivit.

" Pyrexia contagioſa, dejectiones frequentes " mucoſæ vel ſanguinolentæ, retentis plerumque " fæcibus alvinis tormina teneſmus."

Quamvis hæc definitio morbi quaſi eſſentiam complectitur, tot tamen ſunt ejus varietates, ut niſi de his ſigillatim agatur, hiſtoria plena tradi non poſſit: de ſingulis igitur rebus mali circumſtantibus fuſius jam tractandum eſt.

Dyſenteria variis modis adoritur: interdum a

* Vid. PRINGLE, Obſervations on the Diſeaſes of the Army, p. 223.

rigoribus, cum laſſitudine, magna debilitate, cibi faſtidio, amaro oris ſapore, et ſæpe a bilis vomitione inchoat: hæc ſigna brevi excipiuntur caloris ſenſu, frequenti arteriarum pulſu, et dolore capitis, dorſi ac lumborum: ſitis ſimul urget, et inteſtina ſe male habent.

Pyrexia eſt admodum varia; modo levior, modo gravior; nonnunquam intermittentem, vel remittentem, nonnunquam ſynocham, ſæpius autem typhum cum putredinis ſignis comitantibus, ſimulat; interdum autem fere omnino decedit, dum ſigna morbo propria diu poſtea perſtant.

In nonnullis autem exemplis nulla ferme pyrexiæ ſigna antecedunt: ſed morbus ſubito impetum facit: æger inopinanter gravi ægrotatione, nauſea, ac vomitu corripitur; ſingultus jam nonnunquam urget; et alvus eſt ſæpe pertinaciter aſtricta; inteſtina brevi torquentur; et dolores ſunt modo fixi, modo erratici; nam a ſuperiore umbilici parte deorſum tranſvolant; hincque iterum ſurſum vibrantur; frequens deſidendi cupiditas et ingens ani dolor urgent; ægerque alvum dejicere

fruſtra

fruſtra molitur, et nihil fere præter flatum vel mucum ſanguine tinctum egeritur; tormentum niſu intenditur; ſed poſt aliquod tempus remittit.

Inteſtina interdum per aliquod tempus torquentur, ante quam aliquid dejici poteſt; in hoc caſu tormina multo graviora eſſe ſolent, quam quando aliquid brevi poſt tormina inchoata deſidendi cupiditate egeritur.

Nonnunquam morbus diarrhœæ mucoſæ vel biloſæ inſtar incipit.

Dyſenteria autem in pleriſque caſibus a teneſmo, ſive crebro et inani deſidendi deſiderio inchoat: tormina quidem nonnunquam penitus abſunt; ſed teneſmus plus minus gravis adeſt: initio quidem non admodum moleſta eſſe ſolet; brevi autem fit multo frequentior, adeoque ſimul inanis, ut raro aliquid inter diſſidendum egeratur.

Quando fæces alvinæ excernuntur, ſunt fere ſemper admodum parcæ, et ſimiles globulis duris, qui vocantur *Scybala;* dejectiones autem, quacunque forma morbus inceperit, brevi eandem fere formam induunt. Maxima enim earundem pars

nihil

nihil aliud plerumque eſt quam mucus ſpumoſus, plus minus fœtidus, et ſanguine tinctus: merus quidem ſanguis nonnunquam profunditur *, idque tanta aliquando copia, ut æger in vitæ diſcrimen adducatur; et aliquando etiam e medio tollatur. Moleculæ interdum dejiciuntur, quæ caſeum vel adipem referunt; et nonnunquam membranulæ, quæ portiones tunicæ inteſtinorum villoſæ videntur, excerni obſervantur.

Inveteraſcente morbo; purulenta, vel ſanioſa intolerandi plane odoris modo; modo quædam ſtrigmento ſimilia, egeruntur.

Immo nonnunquam vermes, plerumque lumbrici, et interdum Aſcarides dejiciuntur † in hoc etiam morbi ſtadio ani prolapſus aliquando, dyſuria vel iſchuria, licet rarius, et ſæpe lienteria, ſuperveniunt.

Alvinæ fæces raro, ut diximus, deſcendunt; et quando hoc evenit, ſpiſſitatem et colorem haud parum

* Vid. Mosely, on Tropical Diſeaſes, p. 169.

† Vid. Zimmerman, de Dyſenteria Anglici a Hepſon, p. 174.

parum mutantur; ſunt enim coloris ex fuſco plerumque flaveſcentis, et forma globulorum induratorum, quæ medicorum lingua *Scybala* vocantur, niſu violento et torminibus excernuntur: horum dejectio tormina, et teneſmon, omniaque ſigna leviora et minus frequentia reddit: hoc autem perpetuum non eſt.

Quamvis dejectiones ſint fere ſemper parcæ; res autem nonnunquam longe aliter ſe habet; refert enim ZIMMERMAN quadraginta laticis aquoſi libras, uno vertente die, dejectas fuiſſe *.

Ægri admodum ſæpe in dies deſident; plerumque quindecies, aut vicies: et nonnunquam multo ſæpius, idem enim auctor aſſerit, ſe dyſentericos curaſſe, qui, paucis horis, centies quinquagies, vel ducenties deſidere coacti fuerunt †.

Arteriarum pulſus varii ſunt: ſæpe ſunt debiles et tardi; ſi excipiamus quoſdam caſus, qui tempore verno obſervantur, quando nimirum robuſti morbo

* Vid. ZIMMERMAN, de Dyſenteria Anglici a Hepſon, p. 30.

† Ibid. p. 5.

morbo corripiuntur: ſigna febrilia ſub noctu aſperantur; et mane verſus remittunt. Cutis inſigniter aret, adeo ut nonnunquam ſquamulis aſpara fiat. Jamque tradidimus phænomena dyſenteriæ maxime communia: haud parum tamen variant in diverſis nominibus, pro habitu, aliiſque rebus ægrotantium circumſtantibus: vis enim morbi in diverſis exemplis eſt admodum diverſa; ſi levis fuerit, vel ſi ei tempeſtive remediis idoneis ſubveniatur; ſigna paulatim miteſcunt, et in levem diarrhœam abit, quæ naturæ vel medicamentorum beneficio paucis diebus ſanatur; ſi contra gravior extiterit, ut fieri ſolet, quando plures eodem, eodem loci afficiuntur, vel ægros brevi plerumque rapit, vel deſinit in dyſenteriam vetuſtam, quæ ſæpe exitium affert; vel ſaltem difficillime ſanatur.

In nonnullis quidem exemplis, etiamſi febris ſit vel fere nulla, vel levis, malum in menſes protrahitur, deſitura tandem in lævitatem inteſtinorum, vel in diarrhœam lienteriæ ſignis comitatam *.

Quando

* Vid. CULLEN, Firſt Lines, Vol. III. p. 106.

Quando dyſenteria maligna evaſura eſt, non ſolum ſigna ſupra memorata graviora ſunt, ſed alia etiam eaque ſæpe pejora ſuperveniunt: modo enim cutis *petechiis*, modo papulis *miliariis*, deformatur. Nec raro fauces ulcuſculis malignis obſidentur, quæ *aphthæ* nominantur, et gangrænam partium, et glutiendi difficultatem, pariunt. Pulſus labaſcit, fit frequens tremulus ac abnormis: ſpiritus crebro ſingultu interrumpitur, animi deliquium a levibus cauſis ſupervenit: abdomen tumeſcit; tormina adeo frequentia fiunt, ut non niſi morte inſtante remittant: dejectiones fiunt admodum crebræ, fætorem intolerandum diffundunt; nec raro, inſcio ægro, elabuntur: urina eſt alias limpida, alias nigra aut livida, utraque res quidem mali ominis. In caſibus quibuſdam malignioribus typhus ab initio uſque nunquam non urget: in aliis eſt perpetua in ſomnum proclivitas.

Morbi finem verſus, dentes ac lingua, ſi periculum immineat, cruſta nigricante obducuntur; cutis admodum calet, ſubſultus tendinum, delirium, et convulſiones ſuperveniunt. Dejectiones multo cre-

briores fiunt, et ſi inteſtinorum gangræna adſit, fætor vix tolerari poteſt: dejectiones nigricantes ac oleoſæ cum carunculis lividis commiſtæ hunc fætorem intolerandum præcedere ſolent. Tormina tandem ſubito ceſſant; ſingultus ſupervenit; arteriarum pulſus intermittit; fæces et urina odoris peſſimi, inſcio ægro, dejiciuntur; corporis extrema frigeſcunt, comitante ſudore gelido, ac viſcido; ſorbendi facultas fit difficilis; viſus minuitur, vel penitus deficit; et mors tandem lugubri rerum ſeriei finem imponit.

Horum ſymptomatum plura aut pauciora mortem anteire ſolent: cuncta enim rariſſime in eodem ægrotante obſervantur.

Tempus, quod morbus durat, eſt admodum incertum; æger modo die quarto, vel quinto modo decimo ſexto, vel decimo ſeptimo, tollitur: nec raro in tempus multo longius differtur: et tunc apud medicos *chronicus* vocatur.

In hoc vires paulatim franguntur; corpus macreſcit; cibi appetentia deficit; neque dejectiones tam copioſæ ſunt, quam morbi initio extiterunt,

neque

neque torminibus adeo ſævis comitantur; modo ſanguinolentæ, uti morbi initio, modo mucoſæ obſervantur; tandem vero fætorem intolerandum adipiſcuntur, et admodum liquidæ, ſanioſæ, et acres, carcinomatum ſaniei haud obſimiles, dejiciuntur; et ſæpe *hecticam* plus minus gravem comitem habent.

Porro nonnunquam in hac morbi forma, quæ excernuntur ſunt alias mucoſa; alias ingeſta parum mutata, ſicuti in lienteria, celeriter dejiciuntur.

Quando morbus hoc modo tarde progreditur, multas ſeptimanas, vel menſes, durat: et tandem vel ægrum inflammatione, vel putredine, recrudiſcentibus, tollit; vel in alium vix minus exitioſum morbum, et plerumque hydropem, deſinit.

Convaleſcentes ſe temere frigori objiciendo, vel cibo qualem ſtomacus imbecillus concoquere non valet, qualiſve concoctus vires fractas concoquere nequit, veſcendo, in dyſenteriam facile relabuntur.

DE CADAVERUM INCISIONE.

Nulla eſt inteſtinorum pars, quæ a dyſenteriæ effectibus immunis evadit: craſſa autem inteſtina, præ cæteris, afficere ſolet: hæc plerumque ſpiritu inflantur; et maculis obſidentur nigricantibus aut lividis, quæ ex ſanguine villoſam inter et ſpongioſam tunicam effuſo pendere videntur; et tunicæ eorundem præter ſolitum craſſæ inflammationem prægreſſam indicant. Aliâs eadem inteſtina, et præſertim colon et rectum, per totam longitudinem, ulcuſculorum numero fœdantur; et tetrum odorem diffundunt: nec raro foraminibus exeſa ſeſe offerunt; hinc abdomen, etiam vita ſuperſtite, tenſum ac tumidum obſervatur * aliàs præter naturam hic illic anguſta, et, licet raro, per totam fere longitudinem craſſa indurata vel calloſa reperiuntur. Colon nonnunquam ſpiritu adeo diſtenditur, ut faſciæ ejus muſculoſæ, quæ in longum pertinent, vix conſpici

* Audi Prælect. Profeſſ. Monro.

ſpici poſſint. Interdum tunica villoſa potiſſimum afficitur, plurimis exiguis foraminibus exeſa. Eandem vero, raro, ſi unquam, ſeparari, membranularumque forma, inter deſidendum, deſcendere, credimus cum MORGAGNIO; qui has membranulas ex muco et lympha coagulabili ſanguinis effuſa formari exiſtimat *. In eadem ſententia eſt Profeſſor MONRO, qui nos docet, has membranulas, et etiam tubulos membranaceos, qui nonnunquam in hoc morbo dejici feruntur, ex fibra ſanguinis, eodem formari modo, quo membranæ, et ſimiles tubi in aſpera arteria eorum, qui cynanche tracheali afficiuntur.

Quanquam dyſenteria tunicam villoſam et ſpongioſam inteſtinorum ſemper afficiat, raro tamen muſculoſam adoritur; verum hæc etiam interdum incolumis non evadit.

Præter hæc morboſa inteſtinorum phœnomena; alia quædam rariora obſervantur. PRINGLE internam coli, et recti ſuperioris faciem tuberculis, quæ

* Vid. MORGAGNI de cauſis et ſedibus morborum.

quæ variolarum puſtulas referebant, obſeſſam comperit *. Hæc tubercula ex tunica inteſtinorum celluloſa naſci exiſtimavit, HEWSON.

LINNÆUS, et CLEGHORN ſimilia quædam ſe obſervaſſe retulerunt, " Dyſenteria, (inquit " ille), epidemica ſcabies eſt inteſtinorum interna, " ut ex deſectionibus dyſenteria defunctorum " patet," hic ſe colon tuberculis induratis exaſperatum vidiſſe ſcribit †.

Quamvis dyſenteria ſedem ſuam in craſſis inteſtinis plerumque figat; non ſemper tamen tenuibus inteſtinis parcitur: hæc enim interdum præter naturam ſibi invicem adhærebant, ulceribus et inflammationis ac gangrænæ ſignis afficiebantur: et ſpiritu intercluſo tumeſcebant. Ventriculus ipſe eodem fere modo nonnunquam afficitur. Porro omentum modo tabidum, modo gangræna affectum conſpicitur: peritoneum, craſſum ſupra quam debet,

* Vid. PRINGLE, Obſervations on the Diſeaſes of the Army, p. 246.

† Vid. CLEGHORN, Obſervations on the Epidemic Diſeaſes of Minorca, p. 227.

bet, inteſtinis ſæpe adhæret: meſenterii glandulæ tumeſcunt: nec non ſplen, pancreas, urinæ veſica, et renes, morbida interdum inveniuntur.

Hepar et veſica bilis plerumque immunia evadunt; licet hoc perpetuum non ſit: interdum enim hepar juſto amplius, vel putridum conſpicitur; et bilis veſica ſimul felle nigricante vel putrido plena obſervatur. Bontius ſe veſiculam fellis liquore albido ſine ullo bilis indicio relicto plenam vidiſſe refert.

Viſcera thoracis rariſſime in hac affectione laborant, inflammatio autem nonnunquam in pulmonem diffunditur, et cor ipſum interdum præter naturam magnum reperitur.

DE CAUSIS PRÆDISPONENTIBUS.

Causæ, quæ homines dyſenteriæ opportunos reddunt, ſunt propemodum eadem ac illæ, quæ febribus, et putridis morbis, ut vocantur, *anſam* præbent. Has inter cauſas potiſſimum eminent calor

et

et humor, omniaque quotquot corpus infirmant, et contagionum generationi favent. Dyſenteria enim præcipue in regionibus calidis graſſatur; hinc exeunte æſtate, vel incipiente autumno, ſæpius quam aliis anni tempeſtatibus dominatur, et quo major calor præceſſerit, eo latius diſſunditur, ſævior, maligniorque evadit. Humor quoque præſertim ſi una cum calore diu in corpus agat, hujus actioni inſigniter favet, ut optimorum auctorum obſervatione conſtat; hinc ſi tempeſtas calida ſimul et humida aliquandiu perſtiterit, mortales in dyſenteriam valde proclives reddit.

Quod caloris et humoris operandi modum attinet, nemo negaverit, quin corpus ſolvant et debilitent, et putredini contagionumque generationi inſigniter faveant. Quanquam calor et frigus ſint cauſæ principes, aliæ bene multæ res conſpirant, qualia ſunt cibus parum nutriens; aqua impura; uſus carnium nimius, deficientibus ſimul cibo ex frugibus recentibus parato, et potu bene fermentato; aëris liberioris defectus; vapores putridi cadaverum et frugum putreſcentium; excubiæ, defatigatio,

tio, et morbi prægressi. Hinc videmus quare dysenteria castra, urbes obsessas, et classes sæpius infestat; milites enim calori diurno, et humori nocturno perpetuo objiciuntur, et sæpe vel prava diæta vescuntur, vel aliquando commeatibus intercluduntur; et nautæ similibus noxis objiciuntur; sæpe enim aqua putrida, et cibo animali salito et parum nutriente victitari coguntur, et ob plures in eodem navi degentes, aërem impurum inspirant.

In urbibus obsessis eædem fere causæ, et putridi cadaverum aliorumque rerum putrescentium vapores existunt. Hinc dysenteria haud raro per urbes obsessas grassatur.

Præter jam dictas, aliæ quoque causæ homines huic pestilentiæ obnoxios reddunt; qualia sunt potus meraciores, veneriſque abusus, et animus demissus.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Contagio ſpecialis videtur eſſe ſola dyſenteriæ cauſa excitans; quia licet morbus homines nonnunquam ſparſim adoritur, contagione ſola, vulgari videtur: porro dyſenteriæ ſigna ſunt ſemper fere eadem; cauſa igitur excitans, quam omnes fere auctores contagioſam agnoſcunt, eadem ſit oportet, qualis vero ſit hujus contagii natura nos penitus latet: de modo autem, quo per homines diffunditur, plurima cognoſcuntur; ſani enim homines corripiuntur deſidendo iiſdem foricis, quibus hac peſte afflati uſi fuerunt: hæc res ſæpe in caſtris obſervata fuit: porro conſtat obſervatione ex militibus, qui bellum gerunt, hos præcipue corripi, qui in iiſdem caſtris foricarum communinm, cadaverumve equorum putreſcentium, vaporibus objecti, diu antea vivebant.

Denique Pringlæ, idoneus auctor, vaporem

ex

ex phiala, quæ ſanguinem putridum continebat, dyſenteriam concitaſſe refert*:

Contagio, quæ dyſenteriam excitat, non ſubito diffundi videtur; nunquam enim omnes in eadem urbe, caſtris, aliove loco, degentes ſimul corripit: initio homines hic illic invadit: paulatim vero hæc peſtis fit magis actuoſa, latius diffunditur; et reni cito opprimatur, omnes fere ejuſdem loci communitate utentes adoritur, et ingentem ſtragem plerumque edit.

Quanam via, utrum ventriculi, pulmonis, an cutis, corpus ingrediatur, nondum conſtat.

Præter contagionem ſpecialem, aliæ perhibentur eſſe cauſæ occaſionales, quæ dyſenteriam, nulla contagione ſpeciali adjuvante, excitant; hæ cauſæ feruntur eſſe *miaſma paludum*, *halitus cutis frigore repreſſus*, et *uſus fructuum nimius*, de quibus paucis obſervandum eſt.

Pringle quidem aliique boni auctores dyſenteriam et febres intermittentes ex paludum miaſmate oriri opinati ſunt: "In the end of ſummer,"

* Vid. Pringle's Diſeaſes of the Army, p. 225.

inquit PRINGLE, "or in autumn, when any num-
"ber of men are expoſed to night damps, or fogs,
"or lie upon wet or marſhy ground, eſpecial-
"ly after a hot day, part of them will be ſeized
"with a fever of the remitting or intermitting
"kind, and a part of them with dyſentery." Idem auctor dyſenteriam et intermittentes ſymptomata quædam communia, rigores ſcilicet, et ſtomachi ægrotationem habere; et quod alvi conditionem attinet, eadem remedia requiri addit. Hæc quidem opinio firmari videtur eo quòd in nonnullis caſibus tertiana remittens in dyſenteriam, hæcque in illam mutantur: porro in hujuſmodi intermittentibus, paroxiſmi torminibus gravioribus, et dejectionibus frequentioribus comitantur *.

Denique SYDENHAM dyſenteriæ et febrium intermittentium cauſas eaſdem ratus illam vocat "the fever of the ſeaſon turned in upon the bowels"

Horum autem virorum auctoritati quamlibet gravi aſſentiri non poſſumus; quia dyſenteria,

ſecus

* Vid. MOSELEY on Tropical Diſeaſes.

ſecus ac intermittentes, contagioſa eſt; et, licet hi morbi iiſdem terræ locis, eademque anni tempeſtatibus urgeant, non inde tamen jure colligi videtur, cauſam excitantem eſſe eandem; nihil enim obſtare videtur quominus cauſæ morborum diverſæ eadem anni tempeſtate, iiſdemque locis ſimul exiſtant; eoſdemque ægros ſimul exerceant.

Quod opinionem attinet, frigus dyſenteriam, cutis halitum reprimando, concitare, minime nobis veriſimilis videtur; ſive enim exhalatio per cutem ſupprimatur, necne, dyſenteria eſt morbus peſtilens, qui ubicunque magna vis hominum congregatur, longe lateque vulgatur.

WARDROPE dyſenteriam in caſtris Britannicis ex humore ſolo ortam aſſerit. Alii fructuum uſum nimium occaſionalem morbi cauſam eſſe contendunt.

Veriſimilius autem videtur, contagionem in hujuſmodi caſibus latitaſſe actionis expertem, donec frigus, humor, fructuumve abuſus, debilitatem contagionis actioni neceſſariam intulerunt.

Quod

Quod autem fructus attinet, tantum quidem abeſt, ut ſint cauſa dyſenteriæ excitans, ut inter præſtantiſſima remedia, a fidis auctoribus PRINGLE et DEGNER jure habeantur.

DE CAUSA PROXIMA, ET RATIONE SMPTOMATUM.

CADAVERUM inciſio inteſtina, plerumque craſſiora, inflammatione, hujuſque ſequelis, ulceribus, gangræna, et craſſitie, ſecus quam natura fecit, affecta eſſe oſtendit: hæc autem inflammatio, ejuſque ſequelæ, non ſolum natura, ſed etiam ſede, diſtare videtur ab actuoſa illa inflammatione, quæ *Enteritis* audit: Inflammatio enim non ſolum pro varietate cauſæ excitantis, ſed etiam pro partis affectæ diverſitate variat: Sic inflammatio, quæ cynanche malignæ ſupervenit, haud parum diſcrepat ab illa, quæ in cynanche tonſillari obſervatur: nec minus variat inflammatio, prout partes affectæ fabri-

ca

ca et functionibus a se invicem distant: si inflammatio nimirum superficiem secernentem occupaverit, uti in gonorrhœa, aut coriza accidit, signa et terminationes haud parum diversa erunt ab his, quæ partes functiones et fabricam diversas comitari solent.

His principiis prælucentibus intelligere possumus, quare tunicæ intestinorum villosæ et spongiosæ simul inflammatio, signis et natura diversa sit ab illa, quæ enteritidem faciunt: causæ enim occasionales, et partes affectæ haud parum diversæ existunt: pars enim in dysenteria affecta, tunica scilicet villosa, est superficies secernens; in *enteritide* autem inflammatio sedem suam in tunicis musculosis, et spongiosa, potissimum figit. Hinc ratio, vel conjectura, reddi potest, quare signa dysenteriæ, et enteritidis utriusque licet ex inflammatione pendentis, diversa sunt.

Præterea coli inflammati mobilitas et vis irritabilis haud parum augeantur oportet; hinc intelligere possumus, quare spasmo afficiatur: colon enim præter naturam sentiens, et irritabile, factum,

in

in motus enormes, validoſque, cauſa ſtimulante, ſcybalis nimirum induratis, niſus rapitur: hinc forſan torminum ratio reddi poteſt.

Rectum magno glandularum mucoſarum apparatu inſtructum eſt; ſuperficiei ejus igitur inflammatio, muci ſecretionem haud parum augebit, acremque forſitan reddet: hujuſmodi mucus quantitate forſan, et qualitate, peccans, rectum jam præter naturam irritabile ſtimulans, teneſmi, et dejectionis frequentis mucoſæ cauſa exiſtere poteſt. Inteſtini ſinuati fabrica, et ſpaſmus; et aucta forſan vaſorum reſorbentium actio, ſtercoris indurati, et plerumque retenti, rationem reddere queunt. Sanguis qui nonnunquam magna copia profunditur, ex vaſis ſanguiferis inteſtinorum ruptis, aut exeſis, provenire videtur.

Moleculæ carnoſæ; vel ſebaceæ, quæ dejiciuntur, nihil aliud, ſi PRINGLE auſcultemus, ſunt, quam caſeus, quem æger devoraverat; quæve ex lacte in ventriculum recepto formatæ fuerant.

Membranulæ, et tubi membranacei, qui interdum dejici perhibentur, ex lympha coagulabili

ſanguinis

ſanguinis effuſa, et coacta, ut ſupra diximus, formari videntur.

De Diagnoſi.—Dyſenteria ab aliis affectionibus facile diſtinguitur; diarrhœa eſt forſan ſolus morbus, quocum confundi poteſt: diarrhœa enim interdum in dyſenteriam, hæcque nonnunquam in illam deſinit; hinc hos morbos gradu tantum diſcrepare nonnulli opinati ſunt: hæc autem ſimilitudo fallax eſt admodum rara; et ſemper facile dignoſci poſſunt; in diarrhœa enim fæces naturales ſemper ejiciuntur; in dyſenteria autem, poſt breve tempus retinentur; et nunquam fere niſi ſcybalorum forma dejiciuntur: porro diarrhœa nunquam eſt peſtifera; nec unquam fere a pyrexia incipit: quæ quidem omnia in dyſenteria penitus diverſa obſervantur. Inſuper medicamenta, quibus hæ affectiones ſanantur, ſunt penitus contraria.

De Prognoſi.—De hujus morbi eventu caute judicandum eſt: multa enim præter omnem expectationem evenire ſolent. Si teneſmos et tormina non mitigantur prima alvi purgatione, et præſertim ſi æger ſit debilis, morbus malignus eſſe ſolet:

quo longius enim progreditur dyſenteria, eo funeſtior eſt. De hac re ſic ſcribit CLEGHÒRN, "almoſt all the dyſenteries, which fell uuder my "care, unleſs they were ſpeedily cured in the be"ginning, at laſt proved obſtinate, and too fre"quently fatal, in ſpite of all the boaſted ſpecifics "for this diſtemper." DONALDUS MONRO in eadem eſt fere ſententia; nullum enim morbum facilius quam dyſenteriam naſcentem, nullum autem difficilius quam inveteratam ſe ſanaſſe refert *. Neque in omni tamen dyſenteriæ inveteratæ exemplo de ægri ſalute deſperandum eſt: nonnulli enim de quibus vix bene ſperare licebat, medici peritia, viribuſve corporis naturaliter firmis, ſanitatem recuperaverunt.

Porro judicium noſtrum adjuvabitur animum advertendo ad pyrexiam qua morbus inſigniter: typhus, naſcenti, vel progredienti dyſenteriæ ſuperveniens, vel etiam gravior ſynocha, cum manifeſtis inflammationis ſignis, ſunt res mali ominis.

Nec minus in lubrico verſantur, quibus putredinis

* Vid. DONALD MONRO on the diſeaſes of ſoldiers, p. 335.

nis indicia, qualia ſunt *petechiæ*, maculæ, vibices, fœtorque inteſtinorum intolerandus, ſuperveniunt. Singultus quoque, inveterata dyſenteria, frequens, eſt peſſimi ominis; naſcente vero, oboriens, vix periculoſus habendus.

Delirium, pulſus parvus, debilis, et abnormis, convulſiones, ſenſus magnæ anxietatis in præcordiis, urinæ et ſtercoris excretiones, injuſſu voluntatis, elabentes, tormina graviora ſubito ceſſantia, gangræna ſummum corpus hic illic depaſcens, lingua arida et nigra, et devorandi difficultas, mortem inſtare denunciant.

Si autem vires ægri non multum frangantur; ſi tormina et teneſmus alvi purgatione brevi mitigentur; ſi dejectiones copioſiores et minus frequentes evaſerint, neque dolorem gravem moveant, et ad ſpeciem naturalem accedant; ſi lingua fiat munda; ſi febris ſit levis; et denique ſi æger cibum appetat, et ſomni amplexibus ſe committat, eodemque reficiatur, exitum fauſtum præſagire fas eſt.

DE RATIONE MEDENDI.

NATURA ad dyſenteriam, præſertim quando longe lateque per populum graſſatur, ſanandam, minime valet; medicamentis tamen idoneis, modo tempeſtive adhibeantur, plerumque cedit.

Pyrexia, quæ dyſenteriam comitatur, eſt admodum varia, modo ſynocha, modo typhus, modo intermittens, aut remittens; hinc ratio medendi in diverſis caſibus, diverſa ſit oportet.

Qualiſcunque vero fuerit pyrexia, fæces naturales, ut ex morbi hiſtoria patet, globulorum induratorum forma, quæ *ſcybala* vocantur, plerumque retinentur, et coli cellulis pertinaciter inhærentes tormenta et teneſmon augent, nec ceſſare ſinunt, donec foras faceſſantur.

Maximi igitur momenti eſt, ut medicus animum ad hanc pathologiæ partem potiſſimum advertat: princeps enim medendi conſilium eſt, *ſcybala*, et inteſtinorum colluviem per medicamenta idonea expellere:

pellere: quod vomitione et alvi purgatione abſolvitur.

Dyſenteria igitur naſcente, vomitio præcipienda in omni caſu, in quo inflammationis, et diatheſios phlogiſtcæ, ſigna gravia non fuerint: his enim urgentibus, ſanguinis detractio ſemper premitti debet; præſertim in regionibus frigidis, et tempeſtate verna, aut hiemali, in quibus proclivitas ad inflammationem vigere ſolet: tempore quidem autumnali, et præſertim regionibus calidis, in quibus putredo, dominatur, caute ſanguis et forſan raro quidem, detrahendus eſt; licet enim ſigna hoc remedium primo poſtulare videantur, poſt alvi purgationem remittere ſolent: in hac re difficili ægri vita ex clinici peritia et experientia pendeat oportet.

Ex medicamentis autem vomitoriis præſtantiſſimæ ſunt ipecacuanha, et antimonium tartarizatum; hæc autem ſine diſcrimine præſcribenda non ſunt: antimonium tartarizatum ægris debilibus haud bene accommodari videtur; adeo enim omnes excretiones augere ſolet, ut vires ægri haud parum frangat: hinc in regionibus calidis, quibus

corpus

corpus ſolvitur, et proclivitas in putredinem mirum in modum intenditur, ſæpe haud parum nocuiſſe obſervatione conſtat: regionibus autem frigidis, quibus diatheſis phlogiſtica augetur, optime convenit, et fauſtiſſimos effectus, præſertim in ægris plenis, et robuſtis, edere ſolet.

Si ægri igitur vires frangantur, Ipecacuanha, morbo incipiente, præcipienda videtur; et vomitio chamæmeli infuſione haud parum promovebitur; ſin autem æger plenus, et robuſtus, fuerit; et præſertim ſi morbus tempeſtate verna, aut regione frigida, naſcatur, antimonium tartarizatum videtur anteponendum: tubum enim alimentarium, colluvie putrida, qua gravatur, efficaciſſime exonerat, et ſtimulum nimium et acrem ſubducendo, diatheſin phlogiſticam minuit, aut tollit; curſumque humorum ad cutem dirigendo ſudorem elicit; qui quidem effectus, præſertim, naſcente morbo, ut ZIMMERMAN teſtatur, ſummi eſt momenti, multumque ad omnia ſigna mitiganda facit.

Inter vomendum igitur ſudor promovendus eſt, idoneum corporis calorem ſervando, et aliis remediis

diis huic fini accommodatis, qualia ſunt, *julapium ſalinum*, *ammonia acetata*, diluentia, &c. Poſtridie diei, quo vomitorium medicamentum aſſumptum fuerit, præſertim ſi hoc alvum non cierit; cathartica ad *ſcybala*, cæteraque inteſtinorum acria evacuanda, præſcribenda ſunt, in hoc rei cardo vertitur; dyſenteria enim nulla alia ratione, quam ſedula ſcybalorum aliorumque acrium exinanitione ſanari poteſt.

Cathartica leniora plerumque uſurpanda ſunt; quia alvi purgatio morbi decurſu ſæpius iteranda eſt; et idcirco æger ex acriorum uſu detrimentum caperet: interdum quidem hæc, quando illa alvo ciendæ imparia inveniuntur, neceſſaria fiunt.

Præcipua inter carthartica, quæ uſus comprobavit, ſunt ſales neutrales, *ſoda vitriolata*, *ſoda tartarizata*, *ſoda phoſphorata*, *potaſſa tartarizata*, *magneſia vitriolata*, *antimonium tartarizatum*, *ipecacuanha*, *oleum ricini*, *rheum*, *vitrum antimonii cætum* et *hydrargyrum muriatum mite*.

Horum quidque, quorundam medicorum opinione, cæteris omnibus anteferendum eſt: alia autem

tem cathartica, aliis ægris, pro diverſis ægrotantium propriis, convenire facile concipere poſſumus: medicamenti igitur delectus ex medici judicio et experientia neceſſario pendebit.

Qualecunque autem catharticum anteponatur, eodem alvus ſingulis diebus, vel quolibet biduo, aut triduo, leniter laxanda eſt, prout res poſtulaverint.

Sales neutrales, utpote vi admodum refrigerante pollentes, morbo incipienti bene accommodari videntur; *ſoda tartarizata, vel ſoda phoſphorata*, juſculo pullino, ovillo, aliove potu diluente, ſolutæ, cæteris ſalibus neutralibus multo gratiora ſunt.

Monro et Zimmerman magneſiam vitriolatam haud parum laudant, eamque cum oleo conjunctam præſcribere ſolebant: alii vero medici hoc medicamentum, quippe quod humorum putredini favere opinantur, improbant. Vitrum antimonii cerati multum laudent Cleghorn et Home; Gregorius autem noſter, medicinæ decus, qui hæc omnia, animo præjudiciis vacuo, in egregiis ſuis prælectionibus tractat, antimonio tar-

tarizato

tarizato posthabendum censet. CULLENUS antimonium tartarizatum cæteris omnibus anteferendum judicat; parvis dosibus, idoneis intervallis interpositis, hoc consilio præscribi debet: Ipecacuanha eodem modo præscripta a quibusdam clinicis multum commendatur, et casibus, qui lenem alvi purgationem desiderant, accommodari videtur. PRINGLE et HUXAM multi sunt in laudibus rhei, hydrargyro muriato miti conjuncti, ad dysenteriam, præsertim verminosam, sanandam: alii quidem medici propter astringendi, qua pollet, vim, dysentericis minus convenire opinantur. Morbo inveterato, quando intestina multum infirmantur, accommodari videtur. Oleum quidem ricini, utpote quod leniter et cito alvum laxat, dysenteriæ optime accommodari videtur, modo sit recens et blandum: rancidum enim tormenta et tenesmon augere observatur, ægris debilibus anteferendum videtur.

Hydrargyrum muriatum mite multum laudat CLARK, non solum in dysenteria acuta, et recente; sed etiam in vetusta: grana quinque ejusdem,

cum antimonii tartarizati grano dimidio, et opii pauxillo, conjuncti, boli forma ægro hora ſomni dare ſolebat. Multos ſe hoc medicamento ſanaſſe, qui nunquam in morbum, quod poſt aliorum medicamentorum uſum interdum evenit, reciderunt. Ratio medendi Domini CLARK, hoc peculiare habet, quod nulla alvi purgatio tentanda ſit. Si poſt triginta vel quinquaginta medicamenti grana hoc modo aſſumpta dejectiones ſpeciem naturalem non induant; opium omittendum, et hydrargyrum majori doſe, alvo nimirum purgando pare, dandum ſuadet. Sic morbum ſæpe ſe ſanaſſe refert.

Medicamenti quantitas diverſis caſibus neceſſaria, ut idem nos docet, eſt diverſa; grana triginta vel quinquaginta plerumque neceſſaria fiunt; interdum vero, morbus quantitate medicamenti multo minore tollitur.

Scybala, et materia inteſtinorum acris alvi purgatione exinaniuntur; et ſic teneſmo, et torminibus ſævis plerumque occurritur; hinc ſomnus obrepit, vires reficiuntur, et via ad ſanitatem paulatim

tim ſternitur: Si tamen, quod ſæpius quidem fit, alvi purgatio hos effectus exoptandos non præſtet; hauſtus *anodynus*, quo tormenta, aliaque dira ſigna, quæ ſomnum arcent, conſopiantur; dari debet: ad hunc finem certius obtinendum haud parum conferunt medicamenta demulcentia, quæ inteſtina inflammata illinendo, a materia acri morboſa defendunt; horum remediorum præcipua ſunt aqua ex althæa, hordeo, &c. cocta, et juſcula blanda. Enemata ex iiſdem rebus, vel ex aqua tepida et alio blando, vel gummi Arabico, aut amylo, opii pauxillo addito, conflata, et prout teneſmos et tormina poſtulaverint, iterata, haud aſpernendas ſuppetias ferunt.

Nunquam vero obliviſcendum alvum ante eſſe purgandam, quam opium aut demulcentia præcipiantur, ne ſcybala aliave materia morboſa conſilia noſtra irrita reddant. Fotus abdomini admotus eidem fini reſpondet.

Dum clinicus animum ad alvi purgationem, et ad tormina et teneſmon levanda, tanquam ad ſacram anchoram advertit; alia minime negligenda ſunt: non minus enim ad debilitatem, et putredinem

arcendem ſe accingere debet: et remedia quibus potiſſimum fidendum eſt, ſunt cinchona, vinum generoſum Luſitanum, Madeirenſe, aut Rhenanum, aqua et ſaccharo, prout ægro arrideat, dilutum; aër recens ac frigidulus, et munditiæ.

Debilitate igitur, aut putredine, urgente, cinchona et vinum poſt alvi purgationem libera manu præſcribenda ſunt. Si forte cinchona alvum nimis cieat, quod interdum evenit, opii pauxillum ſimul dandum eſt.

Denique, qualiſcunque ſit pyrexia, quæ dyſenteriæ ſe comitem adjungit, medicamenta exulceratoria abdomini, qua dolet, admovenda ſunt: hæc enim remedia, inflammationi, quæ ſemper plus minus adeſt, bene conveniunt: dolorem levant; coli ſpaſmum, ſi quis exiſtit, ſolvunt, inflammationem diſcutiunt; humorum curſum ad ſuperficiem dirigunt, et halitum cutis, quod haud parvi in hoc morbo momenti eſt, promovent.

Diæta idonea, dum morbus urget, eſt magni quidem momenti; debet eſſe tenuis, et refrigerans, et qualis putredini obſtat: potus nimirum copioſus,

ſus, et blandus, quale eſt decoctum hordei, ſacchari pauxillo ad gratum ſaporem addito; et cibus ex materia imbecilla, qualia ſunt juſcula tenuia, ſago, et fructus acido-dulces, aurantia, pruna, fraga, &c. quæ quidem ſola, teſtantibus TISSOT et TRAILLE, non ſolum dyſentericis opitulantur, ſed etiam morbo ſæpius medentur.

Obſervandum eſt autem fructus primis morbi ſtadiis potiſſimum convenire: nonnunquam enim, eodem inveterato, ſupervenit ventriculi acor, qui uſum eorum vetat; et medicamenta abſorbentia, qualia ſunt magneſia, et creta, poſtulare videtur.

Convaleſcentium diæta levis et concoctu facilis eſſe debet, juſcula, nimirum et carnes materiæ imbecillæ, quales ſatis nutriunt, neque minus ſtimulant; potus ex vino aqua diluto conſtare debet: et exercitatio lenis et quotidiana ſub jove pleno ac ſicco, præſertim meridie, utenda eſt: a frigore enim, quippe quo non alia ad morbum reducendum validior cauſa, ſedulo cavendum.

FINIS.